



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XIX. De qualitatibus ad obtinenda beneficia necessariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

dum, quo Episcopus eo usurus esset, non quo uti deberet, secuturumque cujusque Ecclesiæ consuetudinem in partitis inter Episcopum & capitulum collationibus. His modis adstrictum jus regaliæ ut toto regno reciperetur denique adsentus est clerus, exceptis tamen episcopatibus, qui titulo onerosa exemptionem sibi compararunt, & datis regi certis domaniis vel aliis terris onus illud redemerunt. Perdurat autem jus regaliæ quousque novellus Episcopus literas *absentatorias* (*main-levée*) a camera rationum impetraverit, quod fit, quum formulam jurisjurandi regi præstiti homologandam offert: quæ literæ post regiis præfectis in provincia significandæ sunt. De nominationibus ad episcopatus & abbatias, quæ regi per concordatum competunt, jam dictum est. Atque hæ sunt illæ personæ, quæ more hodierno jus ad beneficium dare possunt.

1) *Louet, R. 58.*



C A P. XIX.

DE QUALITATIBUS AD OBTI-
NENDA BENEFICIA NECES-
SARIIS.

I.

Ad bene-
ficia ad-
mittun-
tur

x. regula-
res ad re-
gularia

BENEFICIUM non nisi personis *habilibus* est conferendum. Si adhuc primario spectaretur officium, ob quod datur beneficium,abilitas illa facile æstimari posset ex iis, quæ *Part. I.* diximus. Sed postquam beneficiales causæ in iudicium deduci cœperunt; habili-

tas restricta est ad *qualitates externas*, quæ judici facile probari possunt. Oportet igitur pro natura beneficiorum vel *secularem* esse, vel *regularem*. Regulares, etiam si clerici, etiam si presbyteri, ad beneficia *secularia* haud vocantur, si episcopatus exceperis, qui eos ob eminentiam perfecti sacerdotii e monachatu eximunt¹. Vicissim *seculares*, etiam si clerici vel presbyteri, non possunt possidere beneficia *regularia*, quæ originetenus sunt officia *monastica*². Oportet enim esse regularem, & quidem ejusdem ordinis, ejusdemque monasterii, nisi hoc cum aliis in unam congregationem coierit: aliquibus tamen casibus exceptis. Nam & provisiones iis dantur, qui ad professionem anhelant, modo intra annum faciant; & translationes ex ordine in ordinem, ex monasterio in monasterium fieri possunt, consentientibus tamen quorum interest, religioso scilicet & utroque monasterio. Quas exceptiones haud improbare videtur Concilium Tridentinum³.

2. *seculares ad secularia.*

1) C. 5. de *præbend.* in 6.

2) C. 22. X. de *elect.* 3) *sess.* 14. c. 10. 11.

II. SUNT & beneficia *sacerdotalia*, quæ solis presbyteris conferenda, & quidem vel *lege*, vel *fundatione*. In his posterioribus, qualia sunt *facella sacerdotalia* aliaque similia, lex *fundationis* ad literam observatur, exclusis omnibus, qui non sunt presbyteri. In prioribus, qualia sunt *parochiæ*, *decanatus*, *prioratus* & *abbatiæ regulares*, aliaque similia, sufficit provisum intra annum *quietæ possessio-*

3. *qui sunt in sacris ad sacerdotalia.*

4. qui in
minori-
bus ad re-
liqua.

nis ordinari¹. In ceteris beneficiis, ut sunt præbendæ, sacella, prioratus simplices, commendæ, usus sequendus est, quo alia non aliis, quam qui in sacris sunt, alia clericis simplicibus conferuntur: unde tot clerici vel simplici tonsura acquiescunt, vel in subdiaconi gradu subsistunt. Ordines autem singuli, ac ipsa tonsura, per literas probandi sunt, quum nemo præsumatur ab infimo per omnes gradus ad superiorem adscendisse. Singuli, inquam, gradus probandi sunt, ut appareat, promotionem non factam esse per saltum.

1) C. 1. X. de ætat. & qual. præf.

ætat. legi-
tima.

III. RATIONE ætatis ad beneficia sacerdotalia XXV. ad ea, quæ dantur iis, qui in sacris sunt, XXII. ad regularia XVI. anni requiruntur, quibus religiosa professio fieri potest. Beneficiorum simplicis tonsuræ regula firma non suppetit. Ex mente concilii² XIV. requiruntur anni², qua ætate cives Romani a tutela liberabantur. In Francia sequimur veterem cancellariæ Romanæ regulam³, secundum quam ad præbendas cathedralium XIV. ad collegiatas X. anni requiruntur; ad simplices autem prioratus & capellas nonnumquam VII. anni suffragantur⁴. Quod institutum obtentu *melioris educationis* hujusmodi puerorum in seminariis vel collegiis incrustant. Abbatia commendataria plerumque presbyteris, aliquando clericis conferuntur simplicibus, ut regula nulla firma sit.

1) *Trid. sess. 23. Ref. c. 6.*

2) C. 3. X. de æt. & qual. præf. 3) *Reg. 18. Pauli III.*

4) *Louet E. 1. Le Prêtre cent. part. 2. c. 74.*

IV. IRREGULARITATES omnes, de quibus dictum, quum de ordinationibus ageremus, aditum præcludunt ad beneficia. Inde inhabiles sunt spurii, mutilati, vel alio notabili corporis defectu laborantes, bigami, milites, carnifices, obærat. Crimina non attenduntur, nisi sint *publica*, quæ in iudicium deduci possent, aut *ecclesiastica*, quæ privationem beneficii involvunt. Irregularitas ignorantia infertur ex defectu laureæ academicæ, i. e. ut nomineris ad episcopatum, doctor vel licentiatus theologiæ aut utriusque juris; ut ad parochiam in civitate vel in oppido nomineris, magister artium esto, vel alium gradum, post triennium theologiæ vel juri impensum, habeto¹. Ad cetera beneficia *gradibus* non opus est. Sed & *graduati* ab ordinariis, antequam provideantur, examinandi sunt, quos, si manifestos idiotas deprehenderint, repellere possunt.

Qui a beneficiis excludantur absolute.

1) *Concordat. de elect. tit. 5. tit. 19.*

V. SUNT & alia, quæ hominem specieatim ad beneficia inhabilem reddunt, veluti matrimonium, quod licet promotionem ad minores ordines non impedit, beneficiorum collationem tamen impedit, etiam si simpliciter tonsis cedant, quia compertum est, clericos conjugatos dissipare bona Ecclesiæ¹. Ex pari ratione filius, utut legitimus, patri in beneficio succedere nequit, ne beneficia reddantur hereditaria². Peregrinus, qui non callet linguam vulgi, inhabilis est ad beneficium cum cura animarum conjunctum³: quod jure no-


qui secundum quid?

stro ad omnes peregrinos intuitu omnis generis beneficiorum extensum est ⁴.

1) C. 5. X. de cler. conjug. 2) C. 2. 3. X. de fil. presb.

3) Reg. 20. cancell. Innoc. X.

4) Ed. Carol. VII. an. 1431. Statut. Blesens. art. 14.



C A P. XX.

DE RESIGNATIONIBUS ET
DEVOLUTIONIBUS.

I.

Beneficia
resignari
possunt;

BENEFICIUM conferri nequit, nisi vacet: vacat autem vel morte, vel resignatione, vel devolutione. Datur enim beneficium ad dies vitæ, quo titulatus invitus, nisi ex causa criminis, privari nequit: resignare tamen, h. e. sponte id collatori refutare, & collator resignationem vel admittere, vel denegare potest, & beneficiarium cogere, ut in officio permaneat, si id e re Ecclesiæ esse arbitretur. Idque veterum instituto ¹. Qui beneficium pure resignavit, ei collator aliud conferre, & si duo simul renuntiant, alterum in alterius locum transferre potest, quod est fundamentum permutationum ², quibus Ecclesiæ utilitas proposita esse debet, si v. gr. episcopus persuasus, parochum meliorem operam navaturum in alia parochia ³. Ad ipsos autem nullum inde emolumentum redundare debet, pactionesque ea de re initæ pro simoniacis habentur ⁴.

1) THOMASS. part. 4. l. 2. c. 17. 2) C. 1. X. de renunt.

3) C. 3. X. de rer. permut. 4) C. 7. eod.